



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

4. Julii. Res plena periculi est, uno omnes calle velle cogere ad perfectionem: quàm varia, quámque multiplicia sint Spiritûs sancti dona talis non intelligit. S. Ignat. apud Quart.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

plenos rati, animarum gubernationem
ambiunt. S. Ignat. ibid.

Nemo fabrilis, nemo mechanicæ se
magistrum profiteretur, nisi plures in
ea discenda annos insumpserit; & sola
animarum regendarum scientia ita prom-
pta cuilibet veniat, ut hodie initiatus, jam
magisterium profiteatur?

Ars artium est regimen animarum,
quam, qui maximè callere se credit, callet
minimè. Dei hoc, non hominum opus est,
cujus est movere corda.

Cogi homines possunt ad servitum,
artes instrui possunt & scientiæ, sed ad ea,
quæ humanam industriam superant, & su-
per naturalia sunt, humanâ arte inflecti non
possunt. Spiritus Dei hîc operari debet.

Rei pretiosissimæ custodia credita est
animarum curatoribus, sanguinis Christi
pretium. Væ! si cujus incuriâ perire ali-
quam contigerit, è manibus ejus repetetur.

4. Julii.

*Res plena periculi est, uno omnes calle velle
cogere ad perfectionem: quàm varia,
quàmque multiplicia sint Spiritûs sancti
dona talis non intelligit. S. Ignat. apud
Quart. Non*

Non solùm quot capita, tot sententiæ,
sed etiam quot homines, totidem
sunt formæ. Hoc Omnipotentis artificum
est, ut plùs quisque differat in anima,
quàm discrepet vultu;

Si ullibi, in animarum directione mo-
ximâ opus est discretione. In medicinis
non omnes prosunt omnibus, quæ hunc
sanavit, occidet illum, nisi qualitate, &
quantitate subjecto attemperetur.

Unâ velle omnes methodô regere, per
inde est, ac uno capita omnia pileo, uno
omnes pedes calceo metiri. Quid interest
aliâ alium viâ procedere, modò ad præ-
xum securus terminum perveniat.

In dispersitis linguâ Apostolorum ver-
tici divinus incidit Magister Spiritus,
Duodecim sunt portæ cœli, non omnes
cogendi per eandem.

5. Julii,

*Nulla res mundo magis despicabiles facit
Religiosos, quàm si varias secti per partes
inter se dividantur. S. Ign. ap. Bart.*

Astimationem ut non quærat, ita me-
retur virtutis studiosus; quàm dis-
eam